



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioannis Bugenhagenii Pomerani Annotationes ab ipso iam  
emissæ. In Deuteronomium**

**Bugenhagen, Johannes**

**Basileae**

**VD16 B 9247**

Capvt XX.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36133**

nobis sancti patres, sed quis illis commisit ut figerent nobis metas? aut cur illi non fuerunt contenti terminis quos fixerat deus, prophetae, Christus, apostoli? sed his citationibus ostendunt sese nihil habere contra nos pro suo mendacio. Non stabit] supra cap. 17.

Si steterit.] Hæc lex talionis, ut uides, commendatur iudicibus qui non sine causa ordinatione dei portant gladium. Ceterum Christianus talionem exigere non debet, sed remittere &c. Matth. 5. 1. Cor. 6.

## CAPVT XX.



Oc caput strenuos uult magnoque per deum animo milites, & de iure bellorum prescribit.

Si exieris.] Hic locus confortatio est fidei in omni tētatione difficili. Omnia enim sunt possibilia credenti. Hic sacerdos, id est minister uerbi dei, iubetur admonere populū fiducie in deum, hoc enim est eius officium, quod & Moyses qui sacerdos non uocatur solebat prestare. Duces uero exercitus iubentur remittere illos quorum animi aliud cogitant quā bellum, aut qui alioqui pusillo sunt animo & formidolosi. Quomodo enim stabunt pertinaciter qui uel trepidant, uel nihil aliud cogitant, quā ut euadant reuersuri ad id quod amant, ut qui edificauit nuper nouā domum, qui plantauit nouam uinē, qui despondit uxora

tem nondum acceptam? Qui non solum in bello inu-  
tiles sunt sed etiam nociui dum trepidat & alios tre-  
pidare faciunt, & primi moluntur fugam fugiendi-  
q; alijs sunt autores & c. quales fuisse uidemus explora-  
tores qui cum Iosue fuerant. Nu. 13. & 14. De fiducia  
in deum diximus ca. 13. & 7. Et serè omnis scriptura  
libenter utitur uerbis militaribus & in multis locis  
spiritualē pugnam describit carnalibus uerbis, ut sci-  
amus illa externa, quibus olim populus fiduciam in de-  
um didicit, ad omnia pertinere & externa & inter-  
na. Iob militiam uocat uitam hominis super terram:  
Et Christus dicit Matth. 10. Nolite timere eos qui occi-  
dunt corpus & c. Vide Ephe. 6. & 2. Cor. 10.

Duces quoq; vide legem seruata[m] Iud. 7.  
& 1. Mach. 3. Dedicauit id est, nondum expia-  
uit ut inhabitet, qui uero mos hic fuerit, nescio. Hoc ue-  
ro certum est loqui Moysen de domo nondū habitata.

Communem. Jut liceat ingredi cuiuis, ut infra ui-  
des cap. 23.

Hæc lex primū instruit nos ne exigamus statim per-  
fectionē ab infirmis, & protrudamus eos in prælium  
qui adhuc sunt pusillo animo, quod & Christus serua-  
uit, dicens, Si me queritis, sinite hos abire. Item, ad  
Petrum dixit, Non potes me modo sequi. Deinde casti-  
gat temeritatē illorū qui se offerunt dimicaturus gla-  
dio spiritus, id est predicaturus uerbum dei, cum sint

imbecilli animo & adhuc non purgati suis satis cupiditatibus ne querant sua, hi non stabunt in acie. Item, qui temere se offerunt ut patiantur pro deo quasi constantes. Quod si te deus extruserit ad predicandum, tradiderit te hostibus, hic bene sperato, ipse aderit in firmitati, ipse erit robur tuum & c.

Si quando accesseris & c.

Duas uides leges de iure belli, alteram de terris promissis, ut ibi nihil gentile relinquant, ne maneat illic scandalum & idololatriæ occasio, ut supra quandoq; diximus. Alteram de terris non promissis, ut illic si uoluerint expugnare ciuitatē ut inimicam & reddere tributariam, primū pacem offerant, id quod & hodie in speciem obseruāt, licet longe dissimiliter nostri principes, qua pace contempta confisi deo expugnent eam & occidant omnes masculos, præter infantes, primum in ultionem sceleris q; persecuti sunt, & negociū fecerunt filijs Israël insontibus, & nihil male merentibus, hic est enim usus gladij. Deinde ne rursum contra ipsos inualescant & tributa negent dare ad quæ cōdemnati sunt propter iniuriam & damna filijs Israël facta. Hæc omnia habet ius gladij, scilicet damnare in corpore & rebus qui uitæ aliorum & rebus insidiantur, quemadmodū ubiq; lex ostendit.

Allegoria duarum legum.

Inter nos non debemus sustinere gentilem, blasphemum

munus

mum &c. sed excommunicare ne computetur in regno  
 nostro donec non sit talis, sed Israëlita, id est, Christia-  
 nus fiat. De ijs autē qui foris sunt non est nostrum iudic-  
 care nisi impugnent ueritatem, tūc confodiendi sunt  
 gladio uerbi, ut si nō possint nobis accedere, tamē con-  
 fusi abscedant & non occidant nostros impia doctri-  
 na &c. Sunt autē mares occidendi, id est, erroris ma-  
 gistri, reliqui nobis obesse non possunt, sed fiunt tri-  
 butarij, dum ipsorum impietates & gentilia uitia no-  
 bis confirmatio sunt pietatis, & omnia nobis coope-  
 rantur in bonum &c. Si autē crediderint ueritati, tri-  
 butum maximū est & praeda diabolo erepta pinguis-  
 sima. Nec pretereundū est, q̄ pax primū offerenda est  
 ut sese sponte dedant ueritati, ne quid temere agamus  
 etiam contra ueritatis aduersarios, forte enim multū  
 sunt qui se putent obsequium prestare deo persequē-  
 do Christi discipulos &c.

Ne forte doceant. ] Supra cap. 7.

Peccetis. Peccatum scriptura proprie appellat  
 impietatem siue incredulitatem, ut hic, & Iosue ult.  
 Non poteritis seruire domino &c. Et Christus, Spiritus  
 arguet mundum &c.

De iure gladij ex scriptura.

Christianus si persona eius & res impetuntur ut pri-  
 uati hominis, iniuriam debet ferre & non se uindica-  
 re Matth. 5. & 1. Cor. 6. Exemplū esto Christus & apo-

H

stoli. Iudex & princeps debent cauere ne talia fiant. Quod si etiã bello impetitur ut maxime sint qui pro ueritate & causa iusta mori audent, tamen maior numerus defendi uult, debet princeps & quorum interest pro fratribus pugnare & animam ponere pro illis qui nondum possunt pro ueritate mori, aut qui Christiani non sunt. Hic etiam illi, qui alioqui mori parati sunt si ipsorum solorum causa ageretur, non solum possunt sed & iuuare debent. Officium hic fuerit charitatis non tui commodi. Imò etiam princeps non debet sustinere ut uis fiat mori paratis, nisi & ipse & illi sine incommodo aliorum pro gloria dei simul mori parati sint. Hic enim fratris personam tantũ uideres nõ iudicis. Hic nihil præscribendum esset, ubi iam spiritum docere certum est. Quæris an obediendũ sit principibus iniuste bellantibus? Respondeo, Iniustitiam deus nusquã probat &c.

#### Quando obsederis.

Hac lege consulit hominibus deus, qui hominum peccata per bella punit, ut maneat illic uictus ex arboribus, ubi homines bello premuntur.

ALLEGORIAM uides Matth. 3. &c.

#### CAPVT XXI.